Incipit prologus gestorum Florentinorum.

Cum essem ut parvulus et saperem sicut tempore, tempora quasi balbutiendo transcurri, tanquam somnians concipiens et obliviscens plerumque conceptum exprimere vel proferre. Nunc autem que parvuli erant prorsus omisis (*sic*), loquor factus homo, dispersa quedam desiderans congregare, ut omnibus in uno congregatis, non corporibus, radicibus sive foliis, sed floribus tantum odoriferis et amenis, super me ipsum possim cum voluero utique gloriari; et ipsorum aromacitate sumpta, possint ceteri non digerendo virescere, habentes de similibus appetitum. Nam talia tangendo, me cognosco promptissimum, cum grave sit visa describere, et gravius alicuius relatione percepta referre. Veniam igitur peto, si audita referendo delinquo, et si super hiis quibus interfui, cum potius sit divine revelationis omnium recordari, ob defectum non patientis nature deficio: et obsecro ne dicar audax, super hiis esse laborans, cum studuerim parum et in loco ad studium non apto: quoniam Dominus ubi vult spirat, et idem in alto manens, dona prestat ut vult. . . . . . . (1) abundanter! nec quod in patria comendari anelat, quoniam licet talem honorificent alieni, preter ius fatur ~~romanos~~ inter suos postulans comendari. Tractaturus itaque de rebus gestis et florentinis ystoriis, favorabile duxi predicere a quibus fuit aedificata Florentia ~~et~~ tali nomine appellata.

(1) Questa e le seguenti lacune cadono nei luoghi dove la scrittura della prima pagina del codice è tanto stinta, che forse col solo reagente chimico si sarebbe potuta ravvivare.